

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2023-2024

Mardi 12 décembre 2023, 8h30-12h30

Version latine n°5 (DST) : plaisir d'offrir

Le sage méprise les richesses, mais cela ne lui interdit pas d'être riche : au contraire, il peut ainsi exercer sa générosité — avec discernement, bien sûr.

Longueur LC : intégralité. Longueur LM : crochets droits.

Quemadmodum etiam pedibus suis poterit iter conficere, escendere tamen uehiculum malet, sic, pauper, si poterit esse diues, uolet¹. Habebit itaque opes, sed tamquam leues et auolaturas, nec ulli alii eas nec sibi graues esse patietur. Donabit... — quid erexistis aures ? quid expeditis sinum ? — donabit aut bonis aut eis, quos facere poterit bonos, donabit cum summo consilio dignissimos eligens, ut qui meminerit tam expensorum quam acceptorum rationem esse reddendam, donabit ex recta et probabili causa, nam inter turpes iacturas malum munus est, habebit sinum facilem, non perforatum, ex quo multa exeant et nihil excidat.

[Errat si quis existimat facilem rem esse donare : plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu et impetu spargitur. Hunc promereor, illi reddo ; huic succurro, huius misereor ; illum instruo dignum quem non deducat paupertas nec occupatum teneat ; quibusdam non dabo, quamuis desit, quia etiam si dedero, erit defuturum ; quibusdam offeram, quibusdam etiam inculcabo. Non possum in hac re esse neglegens ; numquam magis nomina facio² quam cum dono.

« Quid tu, inquis, recepturus donas ? » Immo non perditurus : eo loco sit donatio, unde repeti non debeat, reddi possit. Beneficium collocetur, quemadmodum thesaurus alte obrutus, quem non eruas, nisi fuerit necesse. Quid ? Domus ipsa diuitis uiri quantam habet bene faciendi materiam ! Quis enim liberalitatem tantum ad togatos uocat ? Hominibus prodesse natura me iubet et serui liberine sint hi, ingenui an libertini, iustae libertatis an inter amicos datae, quid refert ? Vbicumque homo est, ibi beneficii locus est. Potest itaque pecunia etiam intra limen suum diffundi et liberalitatem exercere, quae non quia liberis debetur, sed quia a libero animo proficiscitur, ita nominata est. Haec apud sapientem nec umquam in turpes indignosque impingitur nec umquam ita defetigata errat ut non, quotiens dignum inuenerit, quasi ex pleno fluat.]

Sénèque

¹ Le sujet de toute cette phrase est « le sage ».

² *Nomina* a le sens de « créances ». *Nomina facere* : enregistrer des créances, endetter / obliger des personnes.